



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 50. Libelli in causa Sebasteni Archiepiscopi a S. Inquisitione proscripti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII „solet, qui dignitatem, ac jura Eccle-  
 A. C. 1704. „siæ salva, & illæsa præstare satagunt,  
 „quod constanter, ac egregie factum  
 „iri confidimus a Nobilitate tua, cui  
 „Apostolicam Benedictionem peraman-  
 „ter impertimur.

§. L.

*Libelli in causa Sebasteni Archiepra-  
 sulis a S. Inquisitione proscripti.*

*Causa  
 Quesnell.  
 pag. 157.*

Jam supra memoravimus, quod Ques-  
 nellus Coddeo Sebasteno Archiepi-  
 scopo ad S. Congregationis quæsitæ re-  
 sponiones suggererit, & præfati Ar-  
 chipræsulis Procurator eas Romanis li-  
 teris excudi curarit: cum autem in iis  
 plurimæ continerentur doctrinæ ad-  
 modum suspectæ, quas pro sua defen-  
 sione Coddeus Romæ typis vulgaverat,  
 hinc Sacra Inquisitionis Congregatio  
 hoc anno adversus eas die tertia Apr-  
 ilis sequens edidit decretum: „Sanctif-  
 „simus Dominus Clemens XI. Papa  
 „prædictos infra scriptos libellos, vide-  
 „licet: *Declaratio Archiepiscopi Sebasteni  
 Apostolici in Hollandiæ Missione Vicarii  
 super pluribus, quæ tum ad ipsum, tum  
 ad illam pertinent, interrogationibus. Romæ  
 typis Reverendæ Camere Apostolicæ 1701.*  
*Responsiones Archiepiscopi Sebasteni in  
 Belgio fœderato Vicarii Apostolici ad scri-  
 ptum*

ptum varia accusationum capita continens **Sæc. XVII.**  
 jussu Eminentissimorum Deputatorum ei tra- **A. C. 1704.**  
 ditum. Romæ typis Reverendæ Cameræ  
 Apostolicæ 1701.

„Prævio accurato eorumdem exa-  
 „mine, habitaque super illis relatione  
 „& censuris a pluribus in Sacra Theo-  
 „logia Magistris ad id specialiter depu-  
 „tatis, necnon auditis præfatorum Emi-  
 „nentissimorum Cardinalium suffragiis,  
 „prohibendos, atque damnandos cen-  
 „suit, prout præsentis Decreto damnat,  
 „& prohibet, uti continentes doctrinas,  
 „& assertiones ad minimum suspectas,  
 „singulares, atque Ecclesiasticis Con-  
 „stitutionibus repugnantes, quibus  
 „Christi fideles in jam damnatos errores  
 „induci, ac pravis opinionibus infici  
 „possent; ita ut nemini in posterum,  
 „cujuscunque gradus, aut conditionis  
 „existat, eosdem libellos, vel eorum  
 „alterum ullo modo, & sub quocunque  
 „prætextu, quovis idiomate impri-  
 „mere, vel imprimi facere, aut im-  
 „pressos legere, vel apud se retinere  
 „liceat, sed illi Ordinariis locorum,  
 „aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus  
 „ab omnibus, qui eos habuerint, sta-  
 „tim, & cum effectu tradi, & con-  
 „signari omnino debeant, sub pœnis in  
 „Indice librorum prohibitorum conten-  
 „tis. Ipsum vero R. P. D. Archiepisco-

M 3

„pum

Sæc. XVII. „pum Sebastenum, eoquod post die  
A. C. 1704. „turnam, ac plenam totius causæ dis-  
 „scussionem Apostolicæ Sedi quoad ea  
 „de quibus fuerat denunciatus, ut præ-  
 „fertur, minime satisfecerit, ab omni  
 „Hollandicarum Missionum regimine,  
 „dudum ei, ad ejusdem Sedis bene-  
 „placitum commisso, & a quo nuper  
 „sensus fuerat, penitus removendo  
 „Sanctitas sua ad alterius Vicarii Apo-  
 „stolici deputationem in ejus locum  
 „libere procedi, ac proinde hac de re  
 „in Congregatione negotiis Propagan-  
 „dæ fidei præposita juxta solitum agi  
 „mandavit. „

Ast contra hoc S. Congregationis  
 decretum mox in fœderato Belgio in-  
 famis prodiit libellus, cui titulus: *De-  
 fensio Petri Coddei Archiepiscopi Sebasteni  
 adversus &c.* Hujus seditiosi scripti vi-  
 rus ex sola hac Auctoris conclusione  
 dignosci poterit: *Ego quidem, scripserat  
 ille, omnia contra Sebastenum tam circa sus-  
 pensionem, quam circa depositionem acta,  
 cum jure divino, ac naturali, cum Eccle-  
 siastico, humano, ac civili pugnancia, ac  
 per consequens nullius roboris esse neque-  
 quam ambigo, nec dubitare possunt, qui  
 de causa ejus, & canonica judicandi forma  
 penitus instructi sunt: Sententiam quoque  
 per se nullam & irritam nihil efficientiam,  
 aut virtutis habere universus Theologorum,*

Et Juriconsultorum cætus coosentit: e quo Sæc. XVII.  
*invicta dialexi fuit, Sebastenum muneris* A. C. 1704.  
*sui ab Innocentio XI. impositi plena autho-*  
*ritate etiamnum potiri, neque hanc per mo-*  
*litiones sub Clemente XI. contra ipsum*  
*injuria commotas, quidquam detrimenti*  
*cæpisse.*

Non magis moderato calamo alius  
 ejusdem furfuris Scriptor edidit notas  
 in decretum, quod sub Inquisitionis nomine  
 contra Archiepiscopum Sebastenum circum-  
 fertur, ubi sententiam ob rationes frivo-  
 las aut nullas latam, scribere non eru-  
 buit: alius quoque magis petulanti &  
 livido dente idem decretum arrodere  
 non dubitavit, hæc scribere ausus:  
 „Doctrinam Reverendissimi Sebasteni  
 „Scripturarum divinarum placitis, tra-  
 „ditionis Ecclesiasticæ documentis,  
 „assertis Patrum, & Sanioribus etiam  
 „modernorum Theologorum sententiis  
 „consonam, ac consentientem esse,  
 „tam apud me est perspicuum, quam  
 „solem lucere in meridie.

„Tenendum porro est ante omnia,  
 „quale sit illud *fericæ quintæ* tribunal,  
 „quod splendido illo frontispitio Con-  
 „gregationis Generalis sanctæ Romanæ, &  
 „universalis Inquisitionis coram Sanctissimo  
 „nostro Domino . . . . ac Eminentissimis  
 „& Reverendissimis Dominis S. R. E. Car-  
 „dinalibus, condecoratur, ac magnifico  
 „illo

Sæc. XVII.

A. C. 1704.

„illo verborum apparatu oculos simpli-  
 „cium fascinat: nullas illic five libris  
 „delatis evolvendis, five in Doctrina  
 „illis contenta excutienda partes ha-  
 „bere solet summus Pontifex, vel Emi-  
 „nentissimi Cardinales, sed scriptio in  
 „quæstionem vocata traditur in manus  
 „unius, aut plurium Theologorum,  
 „plerumque Regularium, qui, si scriptio  
 „alicubi male tinniat, eam profligan-  
 „dam sistunt *Congregationi Inquisitionis*:  
 „ubi nonnulli Cardinales iudicium loco  
 „sedentes, ex auditis paucorum Regu-  
 „larium opinionibus, ac suffragiis  
 „scriptionem accusatam censura percu-  
 „tiunt, decretum conditur, & Ponti-  
 „fex annuit. Ita liber iudicio illi sub-  
 „ditus ut plurimum calculis albis, aut  
 „atris aliquot duntaxat Regularium,  
 „qui plerumque neque in scripturis  
 „multum versati, neque in scientia Pa-  
 „trum admodum eruditi, neque in Ec-  
 „clesiæ historia, & Canonibus ejus  
 „perscrutandis exerciti, sed Theologia  
 „Scholastica duntaxat, & opinionibus  
 „casuisticis delibuti sunt, vel immunis  
 „evadit, vel in tartara traditur, atque  
 „illud est magnum istud tribunal, quod  
 „ambitiosis illis sanctissimi Domini nostri  
 „&c. nomenclationibus insignitur.

„Possent itaque Illustrissimus Seba-  
 „nus juxta irrefragabiles Ecclesiæ le-  
 „ges,

„ges, quæ Episcopos talibus judiciis Sæc. XVII.  
 „non subjiciunt, sententiam adversus A. C. 1704.  
 „se districtam, & promulgatam solius  
 „incompetentis tribunalis titulo, tan-  
 „quam ipso jure nullam, atque irritam  
 „abjicere, & aspernari.

„Prosequamur Decretum. Asser-  
 „tiones Archiepiscopi præterea prohi-  
 „bent *ut singulari*, obstupescite cæli su-  
 „per hoc, & portæ ejus desolamini  
 „vehementer. „

„Tertiam doctrinis Sebasteni notam  
 „aspergit Sanctio, quod sint Ecclesiasti-  
 „cis Constitutionibus repugnantes: de-  
 „monstratum dilucide, non mere enun-  
 „ciatum, oportuit, quod (confidenter  
 „affero) ut minimum inconsideranter,  
 „& temere dicitur.

„Quarta & ultima qualificatione  
 „assertiones Sebasteni cædit Decretum,  
 „quod tales sint, quibus Christi fideles  
 „in jam damnatos errores, &c.

„Ex quo prorumpit libido oppri-  
 „mendi quævis obtenta Archipræfulis  
 „insontissimi, & fidei ejus integritatem  
 „fuo saltem aliquo, vel pigmento  
 „contaminandi &c. „

S. LL.